

C O N S T I T U T I O

2

ne sanctitatis ; utque facilius incautis obrepant , quasi depo-
nentes lupinam pellem , & fese Divinæ Legis sententiis velut
quibusdam ovium velleribus obvolventes , Sanctarum Scrip-
turarum , adeoque etiam ipsius Novi Testamenti verbis , quæ
multipliciter in suam , aliorumque perditionem depravant ,
nequiter abutuntur : antiqui scilicet , à quo progeniti sunt ,
mendacii Parentis exemplo , ac magisterio edocti , nullam
omnino esse ad fallendum expeditiorem viam , quàm ut ubi
nefarii erroris subintroducitur fraudulentia , ibi divinorum
verborum prætendatur authoritas .

His Nos verè divinis monitis instructi , ubi primùm , non
sinè intimâ cordis nostri amaritudine , accepimus , Librum
quemdam Gallico idiomate olim impressum , & in plures To-
mos distributum , sub titulo : *Le Nouveau Testament en Fran-
çois , avec des reflexions morales sur chaque verset &c.* A Pa-
ris 1699. Aliter verò : *Abregè de la morale de l'Evangile ,
des Actes des Apôtres , des Epîtres de S. Paul , des Epîtres
Canoniques , & de l'Apocalypse , ou Pensees Chretiennes sur le
Texte des ces Livres Sacrez &c.* A Paris 1693. & 1694.
tametsi alias à Nobis damnatum , ac reverà Catholicis verita-
tibus pravarum doctrinarum mendacia multifariam permis-
tentem , adhuc tamen tanquam ab omni errore immunem
à pluribus haberi , Christifidelium manibus passim obtrudi ,
ac nonnullorum nova semper tentantium consilio , & operâ
studiosè nimis quaquaversum disseminari , etiam Latinè red-
ditum , ut perniciosæ institutionis contagium , si fieri possit ,
pertranseat de gente in gentem , & de Regno ad populum al-
terum : versutis hujusmodi seductionibus , atque fallaciis cre-
ditum Nobis Dominicum Gregem in viam perditionis sen-
sim abduci sumnopere dolimus : adeoque Pastoralis non
minùs curæ nostræ stimulis , quàm frequentibus Orthodoxæ
Fidei Zelatorum querelis , maximè verò complurium Vene-
rabilium Fratrum , præsertim Galliæ , Episcoporum literis , ac
precibus excitati , gliscenti morbo , qui etiam aliquando pos-
set in deteriora quæque proruere , validiori aliquo remedio
obviām ire decrevimus .

Et